DE PODAGRA DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM ANNUENTIBUS...

Giuseppe Cassola

Digitized by Google

DE

PODAGRA

Dissertatio Inauguralis

QUAM

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE
PERILLUSTRI FACULTATIS MEDICAE DIRECTORE
SPECTABILI DOMINO DECANO
AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

D.RE JOSEPHO CORNELIANI

CLINICAE MEDICAE THERAPIAEQUE SPECIALIS PROFESSORE O. P.
DIRECTORE NOSOCOMII UNIVERSALIS ETC. ETC.

Ad Medicinae Lauream

RITE ASSEQUENDAM

IN C. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI

Mense Septemb. 1840.

UNA CUM THESIBUS PROPUGNANDIS

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

CASSOLA JOSEPH
TICINENSIS.

TICINI REGII
Ex Typis Fusi et Socii.

Digitized by Google

274

Digitized by Google

PARENTIBUS

ATQUE

AMICIS.

Digitized by Google

236

Digitized by Google

DE PODAGRA.

§. I.

Quemadmodum aetatibus, temperamentis, anni temporibus, et regionibus sui sunt peculiares morbi, ita et vitae conditio suas habet affectiones. Non solum vero, qui artes quasdam exercent, sed etiam divites, Nobiles Viri, et Principes, suis obnoxii sunt morbis; » adeo » ut, verba sunt Sydenhamii, ubique gentium » rata sit lex, atque inviolabilis, nullum ho» minem, vel ex omni parte beatum, vel per » omnia miserum ac calamitosum posse inve» niri, singulos autem, utramque experiri sor» tem ». Inter affectus autem, qui in divitibus et in ordine procerum, in illis nempe, quibus commoda omnia et incitamenta suppetunt, ad vitam intemperantem ac desidiosam

Digitized by Google

234

agendam, praesertim tyrannidem suam exercent, primum tenet locum Podagra. Hic morbus neque in rusticanae gentis mapalia, neque artificum tabernas, sed in magnificas aedes Regumque turres pedem immittens, non vulgares homines, sed divites, et nobiles viros crudeliter vexando quasi digito monstrant, quantum natura juxta sit quam partibus non studeret, nam profusiorem munificentiam, aequa malorum parte diluit ac contemperat.

Podagra, *Goutte* Gallor., *The Goute* Angl., *Gotta* Italor., morbus est sui generis nonnunquam haereditarius, dolorosus, per paroxysmos, hanc vel alteram articulationem fere semper invadens, qui homines prae caeteris corripit post trigesimum quartum aetatis annum, qui postquam meliores vitae annos, mollius ac delicatius transigerint, otio, crapulis, vino indulxerint, ingravescente jam aetate, ab exercitiis dissuescunt, et vitam omnino otiosam degunt.

§. II.

Dum morbus acutus ac regularis est aliquot ante paroxysmum hebdomadis aut diebus sensim corripitur aeger apepsia, plenitudinis sensu regione ventriculi, doloribus variis in cor-

Digitized by Google

poris partibus, cutis siccitate, vomitibus biliosis, diarrhoea, crampis, sensu torporis in extremitatibus inferioribus, pedum venarum varicositate: saepe vero de repente, paroxysmus erumpit absque prodromis immo aegro optime se valente. Pridie paroxysmum appetitus constanter vorracior est, et bene se habet aegrotans; ast licet sanus lecto se commiserit circa mediam tamen noctem, excitatur a dolore pollicem pedis utplurimum, quandoque vero talem, articulationem tibio-dorsalem, et rarissimis in casibus carpum, aut alium quemcumque articulum occupante; paulo post rigor horror, et aliquoties veluti febricitatio superveniunt. Dolor, quem patiens primo expergefactus sentit, refert eum, qui ossium luxationem sequitur, cum sensu quasi aquae frigidae, dolenti loco superfusae, dein gradatim crescit, ad partes extenditur propinquas, cum sensu veluti canis rodentis, aliquando pressurae, et coarctationis, quandoque raro veluti dilacerationis ligamentorum. Tota nox inquieta est, corpus et affecta pars, hinc inde per lectum assidue agitantur, propter impatientiam doloris, qui ad summam vehementiam circa solis exortum pervenit, et tantum acutus fit, ut nec leve pondus linteorum, nec fortiorem per cubiculum am-

Digitized by Google

bulationem sufferre valet. Circa horam primam aut secundam matutinam, gradu dolor sedari incipit; et cum eo omnia symptomata sensim remittunt, quo tempore levi madore perfusus, aeger somno corripitur; quo evigilans, licet dolorem imminutum habeat, affectam tamen partem tumidam, ac leniter rubescentem videt.

Vesperescente die, dolor affectum locum iterum vehemens affligit, et cum eo cetera reproducuntur symptomata ut paulo post mediam noctem aut circa ortum aurorae nova locum habet remissio. Tales paroxysmi per duos aut tres subsequentes dies, repetuntur ast semper minori intensitate; et tali modo primus finem habet accessus. Statim vero altera incipit accessio, eadem phaenomenorum series reproducitur, nunc easdem articulationes, nunc alias invadens huic tertius, et quartus succedit accessus, sed posteriores et mitiores, et breviores prioribus observantur, donec aeger perfectae sanitati restituatur. Haec paroxysmorum particularium, et accessuum series, quae per quindicim dies circiter patientem afficit, costituit quod dicunt Nosologi *Podagrae paroxysmum generale* (attacco di gotta, dagli Italiani). Durante paroxysmo generali

Digitized by Google

appetitus languet, pulsus est frequens, calor cutis adauctus, singula fere membra gravitate, et molesta quadam sensatione afficiuntur; urina rubicondior est, ac sedimentum deponit rubrum, et velut arenulare. Recedente paroxysmi accessu, parte affecta cutis exudatio fit humoris, viscosi, interdum foetidi odoris, cui desquamatio sequitur in formam furfuris, aut veluti anguis, non absque pruritu vehementi. Morbo jam superato, saltem primos post paroxysmos, nihil remanet morbosi in parte affecta, et generalia symptomata recedunt; paulatim redeunt adpetitus, somnus, alvi laxitas, et reliqua perfecte sanitatis indicia.

Morbo regulariter procedente, primo paroxysmi generales, post duos tresve annos, dein quotannis, circa finem hyemis, citius vel serius, absque nota causa externa repetuntur. Aliquot post annos vero morbus profundas radices in corpore figit, paroxysmi generales frequentiores, et diuturniores fiunt, et fere per integrum annum, exceptis duobus aut tribus mensibus aestatis, iis patientes sunt obnoxii. Paroxysmi particulares non amplius viginti quatuor horarum spatio ad invicem aut excipiuntur, aut finiuntur, sed dierum decem, et viginti etiam, eoque tempore, miserrime, et as-

Digitized by Google

242

sidue affligunt partem quam invadunt. In tanta paroxysmorum diuturnitate, artus contrahi incipiunt, et ad motus inaptiora reddi, ut nonnisi insigni molestia, et dolore, baculo suffultus aeger per conclave progredi possit. Morbo tandem ad supremum jam diuturnitatis fastigium perducto, aegroque jam senescente chronicum characterem sumit (podagra chronica, atonica), paroxysmi qui subsequuntur, non amplius sunt adeo dolorosi; et intolerabiles, immo interdum loco doloris, supervenit gravis quaedam membrorum laxitudo, doloribus ventris, et nonnunquam diarrhoea alternans. Dolores qui hoc tempore, sunt ferme continui, et modo has, modo illas invadunt partes, exacerbantur post cibum, vicibus atmosphaericis, post irae accessum; sub motibus gravissimi nonnunquam fiunt; non raro dum somno committitur aeger, de repente excitatur cum eum ejulato, a dolore quasi clavis articulum confringens.

Symptomata phlogoseos articularis, excepto dolore, fere nulla adsunt, aut citissime evanescunt; minima quoque generalis reactio. Ventriculi functio vero magis magisque perturbatur, appetitus est prostratus cum oris amaritie aut salsedine, ructibus nidrosis, ac

Digitized by Google

veluti cibi in ventriculo sint putrefacti, praesertim si patiens aut paulo uberius, aut difficilioris digestionis alimenta devoraverit. Articulationes affectae per podagram chronicam magnas subeunt alterationes. Nunc cartilagines articulares phlogosi correptae, in parte vel ex integro destruuntur, et per morbosum partium cohalitum mutuo adhaerent anchylosim originem suppeditantes; plerumque vero, inter membranas sero-fibsosas, ligamenta et tendines materies peculiaris extricatur, quae salinas concretiones deponit, ex urate sodae pro maxima parte compositas, cum pauxillo phosphatis calcis. Per hasce concretiones, quae tophi podagrosi dicuntur, articulorum volumen intenditur, eorumque variomodo mutatur forma, et motus omnes pro maxima parte, vel etiam ex integro impediuntur. Singulis qui subsequuntur paroxysmis, nova materiae hujusmodi quantitas deponitur, et temporis progressu pro nimia distentione, atque concretionum praesentia, cutis qua articuli teguntur, processu phlogistico afficitur, ex quo exulcerationes efformantur quarum fundo aperto se exhibent tophaceae concretiones.

Antedicta phaenomena ac decursum praebet podagra, dum regulariter procedit. Tamen

Digitized by Google

saepissime contingit, regularem illum podagrae progressum, cum suis symptomatibus fere perverti et podagram ipsam, tum in modo invadendi, tum in phaenomenis quae eam comitantur praebendo, longe diversam esse a se ipsa videtur regulariter procedente. Quamvis revera prae caeteris homines corripiat, post trigesimum quintum aetatis annum, illi qui otio et pleniori victui indulgentes obesi sunt facti, interdum homines juvenes graciles et macilentos, adolescentes puerosque etiam invadit, dummodo a patre vehementer podagrico generati fuerint. Regularis podagra, incipit uti diximus pedes corripiendo, denique alias afficit articulationes; casus non desunt quibus primitus, vel manus, vel cubitus, vel genua effecta fuere, et jam Celius Aurelianus observaverat quod podagra » aliquando a pedibus sumens exordium ceteros articulos implicat, aliquando in aliis incipiens pedes invadit ». Horis nocturnis, dum aeger somno indulget, plerumque incipit paroxysmus, sed nonnunquam dum illucet, vel vergente die morbum incipere viderunt practici. Nondum chronica podagra ineunte Februario, aut circa kalendas Martii, generalem paroxysmum ordinario renova', et paucorum dierum vel mensis

Digitized by Google

intervallo eum absolvit; dum vero irregulariter incedit quocumque anni tempore adparet, et per menses plures assidue aegrum affligit.

Praecipua vero podagrae irregularitas, in eo sistit, quod nonnunquam prae articulis, aliae partes, et viscera praesertim interna, afficiuntur, illam podagrae speciem constituens, quam auctores *anomalam*, *larvatam*, *viscera-lem* vocant. Nonnulli adsunt scriptores praesertim neoterici uti Rostan, Roche, et alii, qui rationi minime consonum esse credunt, hanc podagrae speciem admittere. Ast Sydenham Baglivi, Huffeland, aliique, qui de hoc morbo perbelle egerunt, propriis suffulti observationibus, extra dubitationis aleam posuere podagrae anomalae veritatem. Et revera non inficiari potest, quod in podagricis, et eo interdum tempore, quo paroxysmus renovari solet adfectiones aliae evolvantur sub phlogoseos, vel nevrosis forma, quae communioribus medendi methodis, pervicaciter resistunt, et nonnisi remediis in podagra specifice agentibus devincuntur. Quid dicunt de hujuscemodi adfectionibus, podagram anomalam adversantes? Nonne aliquid specifici admittere oportet, hisce in morbis? Verum est hanc doctrinae partem difficultatibus quamplurimis esse invo-

Digitized by Google

246

lutam, tenebrisque densissimis obscuratam, neminem tamen licet rei veritatem inficiari. Ad mentem clarissimi Huffelland, podagra larvata, aut per metastasim a partibus externis ad internas transferri potest, vel ex eo quod aliquomodo est externe evolutio impedita. Metastasis vero, vel de repente locum habet per improvisam paroxysmi regularis suppressionem, vel lente progeneratur; et tunc adfectio interna vices gerit paroxysmi articularis. Variae observantur podagrae anomalae formae, pro natura, et situ partis adfectae juxta Margrave, omnium saepissime ventriculum, et intestina petit, et in iis tyrannidem exercet; hinc anorexia, dyspepsia, vomitus, hinc colica, dysenteria, diarrhoea. Saepe caput aggreditur, et nunc vertiginis, nunc cephalalgiae nunc apoplexiae partes sustinet podagra. Aliquando etiam in nervos se insinuat unde paralyses; non raro pectoris organa tentat, et est vel asthma vel tussis, haemophtoe, vel phthisis. Nonnunquam fauces invadit, et sub anginae vultu ludificat aegrotos. Interdum renes afficiendo calculum infert, dysuriam, stranguriam etc. Dum in podagra regulari qualiscumque sit articulus affectus, fere semper eadem symptomata pathognomonica observantur, in ano-

Digitized by Google

mala e contra longe plurima et diversa sunt symptomata juxta partes in quibus sedem figit. Notandum tamen est, quod regularis, et anomala podagra, in eo conveniunt, quod in organis adfectis et sensationes, et concretiones pariunt ejusdem ferme naturae.

§. III.

Ex hisce, quae de symptomatibus, et decursu podagrae exposuimus, patet quam facile sit, hunc morbum, dum saltem regulariter decurrit agnoscere; atque ab aliis morbis, arthritide non excepta rheumatica distinguere, dummodo ambo hae adfectiones modo regulari atque mutes procedant. Quoniam vero tam podagra articulos, quam arthritis rheumatica, interdum de repente articulos afficiunt cum phaenomenis phlogisticis, facile ab una ad alteram articulationem vagant absque nota causa; et dum chronicae fiunt, concretiones in articulis deponunt, plurimi Medici hasce adfectiones confundunt. Veteres fere omnes uno nomine arthritides omnes vocabant articulationum morbos dolorosos; qua de re Boerrhavi interpres ita effatus est » Plures certe vidi auctores, qui de rheumatismo scripserunt, sed

Digitized by Google

mihi visum fuit, semper aliquam remanere difficultatem in distinctione adaequata inter rheumatismum et arthritidem ». Ast etiam nostro aevo auctores non desunt qui nullam distinctionem faciunt inter podagram, et arthritidem rheumaticam. En quae ad hoc sunt verba celeberrimi Rostan » Le rheumatisme qu'on a appellé articulaire n' est autre chose que la goutte, et ne merite pas d' en être distingué; il offre les mêmes signes fonctionels, et les mêmes traces après la mort: les differences que quelques auteurs se sont efforcés d' y apposter, sont de nulle valeur ». Si tamen hae adfectiones ad examen subjiciuntur, illico videbimus plurimam inter se differentiam. Et revera podagra tendines plerumque aggreditur, aetate virili, et incipientis decrementi, illos qui vitam inter otium ducunt et cibis boni succi indulgent afficit; arthritis rheumatica nulli parcere solet aetati, et saepius corripit, individua temperamento sanguineo, quae ob artem cui se addixere, vicibus atmosphaerae se exponunt. Podagra frequenter morbus evadit haereditarius, quod quidem de arthritide rheumatica non observatur. Adfectio articularis in podagra, saepe de repente evolvitur, absque ullo prodromo symptomate, aut solummodo pertur-

Digitized by Google

bationibus ventriculi praecedentibus, et semper pridie paroxysmi bene se habet aeger; in arthritide rheumatica e contra phlogosi articulari, per aliquot dies febris inflammatoriae signa praecedunt. Podagra de nocte plerumque aggreditur, et a somno excitat aegrum; etiam vigente die invadit arthritis. Podagra invadit solam et parvam articulationem (pedis digitum majorem adficiendo); ingruit athritis plures et quidem magnas articulationes. Phaenomena reactionis generalis in podagra adfectioni locali semper succedunt, et cum hujusce gravitate conveniunt; generalis reactio in arthritide, nullam tenet relationem cum phlogosi articulorum immo uti diximus, plerumque eam praecedit. Paroxysmi generales podagrici, paroxysmis partialibus componuntur, quorum exacerbatio locum habet noctu, et quindecim dierum spatio plerumque solvuntur. Accessus arthritici irregulari modo decurrunt, et diu perdurant. Circa aequinotia, et solstitia, absque nota causa externa podagrae renovantur generales paroxysmi; quacumque anni tempestate, et notis causis occasionalibus opitulantibus, in recidivum incidit arthritis rheumatica. Ex urate sodae pro maxima parte componuntur tophi podagrici: phosphas calcis, et materies

Digitized by Google

albuminosa concretiones arthriticas constituunt. Ex hisce patet num adsit inter hosce morbos, saltem dum acute, et regulariter decurrant, sufficiens differentia nec ne. Inficiari attamen nequimus quod podagra chronica, aut aliquam irregularitatem praebens, minori facilitate ab arthritide rheumatica quoque chronice decurrente distinguatur, et versa vice. Quae difficultas eo magis evadit, quod podagra, sicuti cum aliis morbis, ita cum arthritide rheumatica societatem innire potest; tunc symptomata harum adfectionum inter se copulantur, et nonnisi maxima Medici attentione, fas est juxtum pronunciare judicium diagnosticum. Neque minoribus difficultatibus implicata est diagnosis podagrae anomalae, nam non omnes adfectiones, quae in subjecto podagrico evolvuntur a vitio podagroso originem ducunt, et non semper praecedunt symptomata podagrae generalis. Suspicari tamen licebit de podagra larvata si absque nota causa, aliqua evolvitur visceralis adfectio, in subjecto qui a parentibus podagricis ortum duxit, aut pro aetate et vivendi genere, maxime videtur huic morbo praedispositus; qui saepe doloribus vagis conquestus est, cujus urinae terreum sedimentum deponunt; et demum uti pluries Huffeland

Digitized by Google

observavit, aeger peculiarem sensationem, aliqua in cutis parte experitur tamquam si pano laneo, vel mastruga cooperiatur.

§. IV.

Podagrae causas nunc perquirentes, de hiis primum quae ad hunc morbum praedisponere valent dicemus. Spectant ad causas praedisponentes, prae primis labes peculiaris haereditaria, nam pluries observatum est omnia individua alicujus familiae hac adfectione aggredi. Sexus maschilis ex eo quod mares prae foeminis, frequenter podagra corripiuntur; » foeminae raro afficiuntur podagra ait Baglivius, et si afficiuntur haec, vel viragines sunt, vel rheumatismis, et hystericis affectibus prae caeteris obnoxiae, a quorum morborum fomite dolores articulares solent excitari. » Aetas virilis, et incipientis decrementi; reapse uti diximus, hic morbus inter trigesimum quintum, et quinquagesimum annum frequentius oritur, et in foeminis speciatim sub cessatione menstruationis evolvitur, interdum pueri et juvenes corripiuntur, sed fere semper isti pueri a patre podagrico sunt generati: ipse inquit Morgagni » Pueros vidi, qui infantia vix perracta, acer-

Digitized by Google

» bis articulorum dolóribus prehensi decum-
» bebant; sed eorum ego, et parentem, et
» avum, et proavum noveram arthritidi ob-
» noxios ». Diaeta lauta, et vita sedentaria, inter efficacissimas causas excitantes recensentur, sed non raro et tamquam causam praedisponentem et occasionalem agunt, ita ut etiam individua minus praedisposita dummodo vitam inter otia et mensae delicias traducunt, in podagram interdum incidant, praesertim si olim exercitiis corporeis aegri assueverant. En quia divites prae pauperibus hoc morbo laborant, qua de re etiam morbus dominorum dictus fuit. Praeter hasce inter causas excitantes, recensentur ab auctoribus, animi pathemata, veneris, et vini abusus, refrigerium, vicissitudines atmosphaericae improvisae, ex quibus explicant quanam ratione, accessus podagrici frequentius de vere, et autumno, quam aestivo tempore et hyeme occurrunt. Haec vero causa nonnisi in individuis valde praedispositis morbum inducere possunt; nam si vicibus atmosphaericis, a veneris atque a vini abusu, hic morbus penderet, uti a plurimis opinatur Medicis, juvenes, foeminas, pueros pariter, immo majori frequentia invaderet, quod minime praxi confirmatur; hinc imme-

Digitized by Google

rito ni fallor Poetae, Bacchum podagrae parentem, et Venerem matrem finxere.

§. V.

Causa vero morbi proxima adhuc latet : si causae remotae, et symptomata perpendatur, patet adfectionem localem esse nonnisi phlogosim partium fibrosarum articulationum; est ne haec certa podagrae conditio pathologica? Causarum conditio, manifestationis ratio, peculiaris morbi decursus etc. omnia nos evincunt, morbum esse sui generis, cujus natura sola phlogosis theoria explicari non potest. Circa hanc quaestionem hypotheses quamplurimae prolatae fuere a celeberrimis viris, sed » sans entrée » dans les discussions des auteurs, dicam cum » verbis Rostan, sur la nature de la goutte, » et sur sa cause prochaîne, sans repeter ici » toutes les theories enfanties par une degou- » tant humorisme, bournois nous a dire, que » cette affectione reconnoit bien positivemente » une cause particuliere. En effet, comment » expliquer sens cette cause, la facilité avec » laquelle cette maladie affecte les diverses ar- » ticulations, comment elle passe de l'une a » l'autre sens interesser le tissons intermediai-

Digitized by Google

» res? Comment expliquer la formation de ces
» calcules thophaces, qui se devéloppent dans
» ces mêmes articulations! ... Pourquoi s'il en
» est ainsi (si podagra est simplex phlogosis
» articularis) une inflammation articulaire, oc-
» casioné par un coup, par un chaute, ne pro-
» duit elle pas l'inflammation simultanée, ou
» successive des autres articulations? Pourquoi
» ne produit elle pas les calculs d'acide uri-
» que ou autres? En un mot pourquoi un in-
» dividu, qui a une entorse, qui a reçu un
» coup sur un articulation n'ait il pas la gout-
» te? c'est que sens doute il existe autre chose
» que l'inflammation, une disposition particulièr
» qui vraisemblablement siege dans les flui-
» des de l'organisme ». Ad statuendam autem naturam hujusmodi alterationis humorum, plures opiniones a celeberrimis viris traduntur inter se quammaxime discrepantes, quarum relatio inutilis prorsus labor esset, siquidem potiusquam lucem tenebras inducunt; ne tamen omnino circa hanc quaestionem sileam, opinionem referam Roche qua mihi probabilior videtur. Praecipua podagrae causa, juxta Roche, ciborum essent boni succi quotidianus usus, ex quo sanguis, et omnes textus, nimis ut ita dicam, saturantur principiis nutrititiis :

Digitized by Google

nimia horum principiorum in corpore coacervatio, esset, ad mentem auctoris, morbosa conditio humorum, quae sistit causam proximam podagrae. Et revera podagra, divites plerumque corripit gulae nimis indulgentes; etiam valde favet podagrae evolutioni, nam otiosis minor est metamorphosis regredientis, hinc magna cumulantur principia nutrititia; podagra frequentius est post trigesimum annum, quia tunc evolutio corporis habet suam finem, et quia hac in aetate mensae delicia magis optantur; vini usus huic favet morbo, ex eo quod vires adauget digestivas; ineunte vere, podagrae paroxysmi saepe renovantur, qui a hiemale tempore major fit corporis nutritio: quod si non omnes qui diaeta lauta abutuntur podagra laborant, est quia plurimi corpus eodem tempore exercent, dein non sufficit multum et nutrititia edere, sed oportet bene et multum digerere. Et sic ex alia parte macilentes et juvenes podagra interdum corripiuntur, hoc contra Roche opinionem non facit; nam etiam in corpore macilento, omnia adesse possunt principia nutrititia, et sobrius nimios sumere potest cibos, nimios inquam ac non necessarios, ad aequam corporis nutritionem.

Digitized by Google

208

§. VI.

Hisce perspectis, quae ad morbi formam et naturam agnoscendam sunt necessaria, nonnulla tradere nunc superest, quae ad morbi therapiam pertinent. Si praeter phlogosim articularem, in podagra regulari conditio adest quoque pathologica generalis, etiam therapia in duas abit sectiones, seu duo sistunt curationis momenta, quorum primum alterationem generalem, et alterum adfectionem prospicit localem. Variae quoque observandae sunt indicationes in podagrae therapia, prouti morbus acutus est vel chronicus, regularis vel anomalus, nec non prouti tempus est paroxysmi, aut extra hoc. Quod vero maximam postulat Medici attentionem, est conditio pathologica generalis, est causa morbi proxima, cujus cura fieri debet extra paroxysmum. Si probabilior est, quod praecipue morbi causa sistat in coacervatione principiorum nutrientium, a diaeta nimis lauta, praesertim inducta; si verum est contrarias causas, contrarias habere operationes et effectus: ante omnia aegrotis suadendum est, necessarium esse transitum, a vita lauta ad frugalem et sobriam.

Digitized by Google

Quid potest in podagricis, parcitas ciborum, multa apud auctores prestant exempla: Ludovicus Cornelius, uti ipse refert, cum esset ab anno trigesimo quinto usque ad quadragesimum sua aetatis podagra affectus, adhibitis et tentatis omnibus remediis absque fructu, tandem Medicorum consilio statuit sectari temperantiam in victu, sobrietati se dedit, et paucorum dierum spatio expertus est quanti vis esset in victus moderatione contra podagram, et intra spatium temporis minus anno, fuit ab omnibus suis infirmitatibus, prorsus immunis et liber. Ast loculentissimum exemplum legitur in adnotationibus Ramazzini in lib. med. Cornelii, en sua verba:

» Vir nobilis Italus quinquagenarius podagra laborans, dum iter ageret, a Marchione quodam, cui magno odio erat per insidiis captus est, et in carcerem foetidum et putridum detrusus est, custodia et cura famulo commissa, ea lege ut singulis diebus, nihil aliud captivo suppeditaret, quam frustulum panis, et aquae pauxillum, in hunc finem ut non moriretur, sed solum ut se quotidie mori praesentiret, hoc victu in eo carcere detentus est usque ad 19 annos, quo tempore arce illa Gallis capta, repertus est vis ille in eo carcere

Digitized by Google

inclusus promissa barba ad pectus, laceris vestibus, ut larvae potius quam hominis speciem referret; eductus itaque tamquam a sepulcro; et libertati est restitutus; sed sanus et a podagra omnino immunis; ad patriam redit ubi omnibus qui illum noverant magna admirationis fuit, dum illum spectarent gladio accintum cum antea vix baculo posset incedere. »

Rationibus ergo et exemplis satis patet quanta commendatione digna sit victus sobrietas ad podagram debellandam. Medici ergo munus erit eam suis aequis valde commendare, et eis quantum fieri potest ratiocinio persuadere » se non satiare cibis, studium esse sanitatis » et verum esse Italum proverbium

L'uomo a forza di cibi succulenti
Scava la tomba con i proprj denti.

Alimenta itaque podagricis sint pauciora; ac non solum tenuia, sed etiam quae extenuandi vim habeant, cavendum ergo a carnibus, a pinguibus oleosis, a cibis ita dictis *Euchymis*, qui ad principia nutrientia copia uberiori in sanguine multiplicando faciunt. Corporis porro exercitatio conveniens, ad eundem finem ac diaeta tenuis, magnum erit remedium, » cujus

Digitized by Google

veritatis uti ait laudatus Rammazzini, amplum testimonium praebent rusticane gentes, et urbani artifices, in quorum casis semel tantum dicitur habitasse podagram. Hinc quantum consuetis cibis detrahendum, tantundem exercitationi corporis erit adjicendum. Somno quoque detrahendum aliquid, et vigiliis addendum, propterea usui erit infusum herbae Thè, aut copheae arabicae, quae vigilias inducendi pollent. Alvum mollem quantum licebit servare bonum erit mitioribus purgationibus et solventibus. Nec sanguinem mittere venaesectione non ab re fuerit, hieme praesertim et vere si corporis constitutio sit valde robusta, et signa adsint plethorae universalis. Inter pharmaca quae tamquam antipodagrica commendantur, et quae extra paroxysmum exhibentur sunt herba et extractum aconiti napelli, radix bardanae, stipites dulcamarae, china, salsaparilla, antimonialia, mercurialia, calamus aromaticus, salina, balnea thermalia, et novissimo tempore praeparata cholchici autumnalis, aut melius vernalis, oleum jecoris aselli; decoctum seminum lini, limonea ex acido lactico, sulphureta, et guajacum. Huffeland ad praecavendos paroxysmos valde praedicat pulvis ex resina guajaci drach. ÷ lact. sulphur. scrup. ÷ sul-

Digitized by Google

phur. aurant. antimon. gr. ij, eleo - sacchar. citr. drach. ÷ divid. in partes aequales tres, capiat in die, quorum sumere jubet per quinque aut sex dies quoque mense. Ad hoc nobis remedium validissimum, ferme specificum in syrupo Boubé, dummodo summantur per decem aut quindicim dies ante paroxysmum, dein oportet quod hoc in tempore diaeta sit magis tenuis, refrigerans, vicissitudines atmosphaericae, frigus speciatim et humiditatem ad pedes solertissime vitentur, et tibialia lanea, et etiam tunicas laneas in universum gerantur corpus. » Cum paroxysmi podagrici, circa aequinotia, et solstitia, exacerbari soleant » praeservationem aliquam, vel circa diaetam, » vel blandiora lenientia aegrotantibus tuis, » antecedentes instituto; nam vel jugulabis » fomitem jam jam erumpentem, vel mitius » procedere facies, sunt verba Baglivi. »

» Quoad paroxysmi therapiam podagrae acutae, Medicus, ait Huffeland, eum considerare debet tamquam crisim, hinc omnia sunt » adhibenda adminicula, quae ejusdem perfectae favent evolutioni ». Non ob podagram, sed quia podagra ad articulos non defluit, moriuntur aegrotantes. Interne praestant quammaxime potus diaphoretici, atque antiphlogi-

Digitized by Google

stici, externe panno laneo articulatio affecta tegatur. Cetera adminicula interna et externa ab auctoribus laudata, plerumque incerta sunt et damnosa. » Remedia externa, ita affatus est » Sydenham, si quis quaerat ad leniendam » podagrae dolorem, accommoda nulla mihi » hactenus cognita sunt (licet plurima tum » in me ipso, tum in aliis expertum fuerim) » qua de causa egomet jam a multos annis » nulla remedia externa adhibui ». Aqua frigida ex. gr. praeparata saturni, locales sanguinis evacuationes, etsi dolores leniant, intensionem imminuant, podagram tamen chronicam, et pervicacem facile reddunt; idem repetere queimus de cataplasmatis emollientibus, quae dolores mitigant, sed oedema humorem extricanti suppurationem inducunt » Dolente podagra abstineto a medicamentis anodyno-emollientibus copiose adhibitis, siquidem ex nimio eorum usu, primo generantur tophi in articulis, ad tophos exinde contracturae, talium partium succedunt ». Purgantia aut emetica, quae a plurimis Medicis in usum vocantur, interdum aliquod afferunt levamen, et paroxysmum irritum reddere queunt; ast eorum usus maximis periculis non caret, nam de repente paroxysmum supprimere possunt, et

Digitized by Google

262

ominosam reactionem metastaticam inducere. En casus quibus auxilia prosunt therapeutica. I. Dum vehemens est phlegosis, aegrotans robustus, pulsus pleni duri, pars adfecta valde rubescens; hunc phlogoseos impetum cohibere oportet cum venaesectione, nitro, tart. stib. II. Dum gastricis complicatur saburris; hoc in casu suadetur aliquod remedium purgans. III. Quoties dolores accerrimi sint absque magna phlogosi, sed cum charactere nervoso spastico, tunc externe in usum vocantur extractum hyosciami aqua dilutum, vel unguentum ex extracto belladonae; interne hyosciamus, opium camphora, pulveres Dowerii et similia. IV. Quoties demum reactione generali omnino remissa, localis persistit affectio, ex eo quod crisis facta fuit imperfecta, tunc periclitanda sunt remedia specifica antipodagrica; diaeta et speciatim resina guajaci, camphora, spiritus Mindereri, ac spiritus salis ammoniaci succinatis.

Quando morbus de acuto in chronicum vergit decursum, confugiendum est ad remedia antipodagrica super exposita. Vesicantia etiam quodam ordine adplicita, nimirum primum ad locum adfectum dein ad partem huic propinquiorem secundum, postea tertium, et sic porro saepe podagram pertinaciorem de-

Digitized by Google

bellare valent. Neque praetermittenda sunt purgantia amaris copulata, ad saburras tollendas, atque eodem tempore vires digerentes labefactatas erigendas. Quoad adfectionem localem, curam sic dictam symptomaticam instituere oportet. Si enim Medico non licet morbum fugare, illi tamen concessum est symptomata molestiora saltem imminuere, et sic miserrimam aegrorum conditionem minus ingratam reddere. Hinc propter narcotica dolores infringuntur; hirudinum adplicationem, nimia irritatio, aut phlogosis mitigatur; extricationi favetur principii podagrici pannis laneis, aut mastrugis, vel frictionibus oleo Cajeput, aut balsamo Peruviano institutis; dum si morbus pervicassimus est, etiam balnea frigida periclitanda sunt. Ad tophorum resolutionem excitandam praeter dicta adhibentur decoctum Zittmannii, et mercurialia.

Specialem vero postulat Medici attentionem podagra de repente suppressa cum symptomatibus ominosis metastasis in capite, pectore vel abdomine, tunc statim venaesectio instituenda est, et sinapismi admovendi sunt parti primitus adfectae, et vesicantia ac hirudines parti nunc correptae; interne antiphlogistica et diaphoretica suadentur, nec non chalomel cum

Digitized by Google

digitali ad praecavendas internas effusiones. Si lentae locum habuit articularis adfectionis suppressio, qua de re internus aliquis morbus paroxysmi regularis vices gerit exterius podagra revocatur rubefacientibus, et vesicantibus ad articulationes antea adfectas; interne vero maximis laudibus extolluntur camphora moschus, ammonium, tinctura guajaci. »

Sic huic dyatribae finem imponam: Haec nova equidem de Podagra edocere non intendo non in lucem extrahere, quae de hoc argumento adhuc in democrati puteo latebat. Propriae expers experientiae, neque alte repletus, eruditione, quae ab antiquioribus et etiam a recentioribus, accipere potui solummodo scripsi, ut summos Medicinae assequar honores. Quare humanissime lector da Veniam scriptis quorum non gloriae nobis, sed officium causa fuit.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

266

THESES DEFENDENDÆ.

I.

Phaenomena languoris insensibilitatis atque paralyseos, quae post acidi carbonici inspirationem in propatulum veniunt, ejusdem vim dynamicam hypostenizantem minime patefacere.

II.

Febris hecticae indolem hypersthenicam.

III.

Medicum firmae et robustae valetudinis aptiorem esse ad Medicinam faciendam, quam valetudinarium.

IV.

Non semper quod sapit nutrire aut prodesse.

Digitized by Google

V.

Hydrocephali acuti infantum naturam adhuc in votis.

VI.

Primum Medici officium, nequaquam morborum sanationem, sed aegri vitae conservationem.

99 939121 Digitized by Google